

## **Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in  
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus  
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum  
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque  
omnibus in utroque Foro ...

Tractatus Primi Pars I. de Servitutibus Prædialibus, Usufructu, & utroque  
Retractu, Pars II. de Emphyteusi, Pars III. de Locatione & Conductione

**Luca, Giovanni Battista de  
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. LXXXI. Romana Recessus à retractu. An ille qui intentavit & obtinuit  
retractum coactivum cum solita obligatione de ædificando in forma, possit  
de consensu domini rei retractæ pœnitere, illamque ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74102](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74102)

- Probabilius autem dicebam esse, quod versare-  
mūr in hac secunda parte favoris primariō privati,  
9 quamvis accessoriē publici; Tum quia juxta op-  
timonem, in qua residet Camera & Curia juxta votum  
*Bisie* registratum inter decisiones Rota dec. ultima  
10 par. 2, rec. hoc ius retrahendi tam prælatum quādū  
coactivum dicitur exorbitans & odiosum, majorē  
remque exorbitantiam absque dubio contineat co-  
activum quādū prælatum, cū in illo cesserit illa  
æquitatis & congruentiæ rationes, quæ in isto ca-  
dunt deducere in *Narnien*, retractus dīc. 71. idēque  
prosul incongruum videtur, ut favorem primariō  
publicum, cui renunciari non possit, concernere di-  
catur ille actus, qui reputatur exorbitans & odiosus;  
Tum etiam quia potest vicinus nolle ut, neque, ex  
eo quod idoneus esset ad retrahendum & faciendum  
ornatum, statutum est, quod ad id invitus cogi pos-  
sit, cū imò etiam post illum intentatum & obtenu-  
tum possit poenitere, ut in *Romanā recessu à retractu*  
dīc. seqq. idēque non videatur subesse congrua-  
rit, ut fieri non possit exp̄s̄e, potissimē p̄ actum  
corresp̄ctivum, & juratum id, quod tacitē seu im-  
plicite non utendo fieri potest; Et quāvis sola vi-  
cinitas non sufficiat, nisi etiam ratio publici ornatus  
accedit, unde propterē juxta vulgare ac receptum  
cons. *Ioanna Altorrandini* hoc ius non competit con-  
finantibus à parte retro, nihilominus favor publi-  
cus est impulsus seu causa, ob quam privatū hoc  
jure uti volentibus illud alias de jure non compet-  
ens concedatur, & sic quod utraque qualitas co-  
pulativè requiratur, non autem quod dici valeat  
iūs primariō publicū, dum ita vicini idonei ad  
adficandum, & faciendum ornatum deberent seu  
possent cogi ad retrahendum etiam inviti, & tamen  
communis praxis docet contrarium.

## ROMANA RECESSUS A RETRACTU

PRO

HÆREDIBUS MARCHIONIS  
LANCÆ

CVI

PROCURATORE FISCALI  
TRIBUNALIS ÆDILIIUM.Casus disputatus in dicto Tribunalis, sed non decisus  
ob actorū acquiescentiam.

An ille qui intentavit & obtinuit retractum  
coactivum cum solita obligatione de ædi-  
ficando in forma, possit de consensu Do-  
mini rei retractare penitente, illamque Do-  
mino restituere, vel potius invitū cogi  
valeat per Ædiles pro publico ornatum ad  
adimplendam obligationem.

S V M M A R I V M.

1. *F* Adi series.
2. *Obligatio camerālis habet in ventre stipulationem pro omnibus quorum interest.*
3. *Retractui tanquam inducto publico favore renunciari non potest.*
4. *Obligatio gesta cum falso presupposito corruit.*  
*Cardin. de Luca de Servitūibus.*

5. *Ob nullitatem pacti corruit totus contractus ratione individuatis voluntatis.*
6. *Deficiente re vendita in parte resolutur contractus, & quid deficiente una ex pluribus diversis.*
7. *Obligatio causativa cessat cessante causa.*
8. *Rerabens potest penitire in retractu prælativo.*
9. *De consensu partium licet recedere à contractu.*
10. *An licita sit penitentia in retractu coactivo.*
11. *Declaratur conclusio an retractui possit renunciari nec nō.*
12. *Dantur similia de configentia ad Ecclesiam vel suscipiente clericatum, ut suo iuri non renunciet.*

## D I S C. LXXXI.

I Ntentato ac obtento per Marchionem Lan-  
ceam, cum subsequita etiam executione, retractu  
coactivo ad quamdam domum adjacentem ejus  
domini sita in via Cursus, facta solita obligatione de  
ædificando juxta formam à *Gregoriana Constitutione*  
præscriptam; Cum facto experimento fundamen-  
torum, detectum esset illa non esse idonea subten-  
tationi majoris oneris, ac altiori elevationi ad æqua-  
litatem cum propria domo retrahente, ac etiam de-  
tectum esset quandam partem inferiorem ejusdem  
domus esse de dominio directo Ecclesie, unde pro-  
pterē diversam formam ad ejusdem Constitutionis  
præscriptum servare oportebat, dando rōm æquiva-  
lentem; Hinc proinde de communi consensu rece-  
dendo ab omnibus gestis, omniaque in pristinum  
reducendo, ipsa domus retracta priori Domino re-  
stituta fuit; Verū Procurator fiscalis Tribunalis  
Ædilium seu Magistrorum viarum eodem in Tri-  
bunali judicium instituit aduersus præfati Mar-  
chionis interim defuncti filios & hæredes pro im-  
plemento dictæ obligationis ædificandi, atque ad  
publicum ornatum reducendi domum retractam  
ad æqualitatem retrahentis, innixus propositioni  
quam habemus in materia obligationis Cameralis  
habentis in ventre stipulationem pro omnibus quo-  
rum interest, per quam juxta limitationem commu-  
niter tradi solitam ad textum in l. quoties Cod. de do-  
nat: que sub modo, non licet contrahentibus à con-  
tractu recedere, sive onus remittere in præjudicium  
tertiī, cui per talē stipulationem ju quæstum est  
ex deductis per adden. ad Greg. dec. 97. Buratt. dec.  
788, num: 3, dec: 189, & 270, post Zaccb: de obl: Euro-  
zetto dec: 849, num: 3, & paſſim.

Et his addebat propositio, de qua apud Man-  
ric. dec: 53, num: 7, cum sequen. quod cū hæc mate-  
ria concernat publicum favorem resultantem ab or-  
natu Civitatis, non potest ei pæctis privatorum re-  
nunciari, potissimē ubi mediante tali obligatione  
iūs quæstum est.

Scribens pro dictis reis conventis, cum sensu  
etiam veritatis, dicebam improbabilem esse peti-  
tionem ex solo facto, ejusque duabus circumstantiis  
omnem juris questionem dirimentibus; Una scili-  
cket, quod subsequitum experimentum fundamen-  
torum impossibilem reddebat executionem dictæ  
obligationis conceptæ cum presupposito, quod res  
retracta conjungi posset cum retrahente, atque ad  
eamdem structuram redigi, unde propterē intra-  
bat receptionis juris principium, quod gesta cum  
aliquo presupposito, fine quo alias gesta non ef-  
fent, eo celiante vel falso detecto, corrunt tan-  
quam ex deficiente voluntate aa textum in l. cū pu-  
tarent ff. famili. eric. Gabr. cons. 52, lib: 2. Buratt: de-  
cis. 282, num: 1, & fin. decis. 94, num: 26, par: 11, rec.  
& frequenter.

N

Altera

Alteravero, quod pars ejusdem domus detegta esset de dominio Ecclesie, ob quam qualitatem ad Gregoriane Constitutionis praescriptum, diversam formam tenere oportebat, quoniam danda erat res stabilis & equivalens, unde propterea venditor implere non poterat contractum ex parte sua, eo modo, quo initus erat, recipiendo scilicet premium jam depositatum in pecunia, & manutendendi rem propriam & liberam, ex quo successivè resultat resolutio contractus, T. ob individuum ipsius contractus & voluntatis partium juxta ea quæ ex hac ratione individuitatis ex magis communi & recepta sententia habemus de pacto invalido invalidante totum contractum, sub titulo de feudis in Camerian. jurisdictione, & in Romana de Euelphis disc. 67. & 69. Quam etiam ex individualitate ipsius rei, quo casu certum est per ejus defectum in parte præsertim notabilis licitum esse à contractu emptionis & venditionis recedere, cum sola quaestio cadat, ubi agitur de venditione plurium rerum inter se distinctarum, quo casu intrant distinctiones, an unicum sit omnium premium, vel potius singularum distinctum, & an res evicta vel deficiens sit notabilis & talis, quod sine illa emperor alius empturus non possit cum aliis de quibus apud Surd. cons. 12, num. 20. cum seq. bene Rot. dec. 709. par. 1. divers. de Marin. resol. 101. lib. 1. apud quos ceteri, & in sua materia sub tit. de emptione, quæ omnia cessant, ubi agitur de unica & individualia re; Et consequenter dicta obligatio corruerat seu cessaverat tanquam ex deficiente causa ex regula cum cessante &c. de qua in terminis emptoris in le accollantis debita in partem pretii & se obligantis solvere creditoribus, quibus ex Notarii stipulatione explicita, vel implicita sub obligatione Camerali'jus irrevocabile quæsumus esset ex Decio cons. 421. Tiraquell, in dicta reg. cum cessante parte prima num. 224. & alius habetur in celebri Parmen. datij coram Coccinodec. 428. par. 1. rec. in Bonon. census 4. Februario 1654. coram Melio cum aliis per amavari, resol. 6. 21. n. 1. cum sequent ac habetur plures actum, in sua materia sub tit. de emptione & venditione, præsertim in Sutriana pro Berio, acetiam sub tit. de Regalibus ad materiam officiorum dñe. 2. & sequent, occasione onerum, quæ in se accollant Notarii vel alii officiales quando officia suscipiunt, ut illis dimissis vel cessatis deficiantur; Atque ex his actor desicit à prætensione, unde ex solo silentio resultavit reorum conuentorum victoria absque alia determinatione, quoniam revera ob istas facti circumstantias cessabat omnis difficultas.

Hinc proinde nulla superfluit necessitas examinandi articulum in genere, an scilicet in hoc retractu coactivo postquam retrahens defuper pronunciari obtinuit, atque obligationem fecit, penitente poscit necne, contentiente vel respectivè invito domino rei retrahenda; In hoc autem articulo, quantum pertinet ad retractum prælativum, magis communis, & recepta sententia videtur affirmativa ut per Tiraquell. de retract. lignag. & finali num. 24. Franch. dec. 346. num. 1. Rout. dec. 24. num. 15. & 18. apud quos ceteri, etiam invito eo, adversus quem retractus intentatus est, multo magis eo consentiente juxta textum in l. ab emptione si de pactis, & l. 1. C. quando liceat ab emptione recedere, & in specie mutui concessus à contractu emptionis & venditionis etiam in præjudicium creditorum, qui ex convento prelio erant satisfaciendi firmatur per Rotam in Bonon: honorum 9, Maij 1591, coram Orane.

Dificultas tamen residet in eo, quod præmissa locum sibi vindicant in retractu prælativo,

qui solum privatum favorem & privilegium vencini & confortis retrahentis percutit, & in quibus terminis superius allegati loquuntur; Secus autem in coactivo, in quo publices Magistratus ita pro publico ornato suam auctoritatem interponere videtur, nimirum exorbitantem cogendi dominum invitum ad rei sua venditionem, atque ita quasi contraheudo cum retrahente, ita ut obligatio, quæ per istum fieret de adificando, directe ac principali iniri videretur, magis cum ipso Magistratus, quam cum eo, qui retractum patitur, cuius nihil interesse videtur, an & quomodo adificetur in re quæ defit esse sua; Unde propterea dubitari potest, an talis contractus resolvi posset cum consensu ejus, qui nullum habet interest sine consensu ejus, qui videtur principaliter interessatus, & cum quo principali alter ac directe talis obligatio contradicta dici potest.

Et quamvis in Romana transact: hoc tit. disc: praeced. quando hæc disputabantur, jam disputata, nihil etiam in sensu veritatis probabilius videretur huic iuri retrahendi, tanquam concernenti primario favorem privatum, secundario vero publicum, posse ipsarum partium passionibus prædicari; Nihilominus ponderabam ea recte procedere ad effectum ne ipsimet pacienti licitum esset à conveniens recedere, atque proprium factum impugnare, secus autem comparente Magistratu vel alio tertio, cujus interest, & qui suam fidem vel auctoritatem interponendo, ita principalis contrahentis vel interessati partes gerere videtur.

Considerando ea, quæ in simili habemus de confiugiente ad Ecclesiam, qui potest ad eam non confugere, sive postquam confugit, ab ea exire, ejusque immunitatis præsidio ita voluntarie se priuare, atque proprio favori renuntiare; Sed si invitatus ab illa extrahatur, unde propterea Ordinarius, vel alter Ecclesiasticus superior ejus auctoritatem interponat, ipsomet instante, ut Ecclesia restituiratur, non potest deinde ipse suo iuri cedere, atque consensu præbere, quod in causa procedatur tanquam bene extractus, sed tali consensu non obstante, Ordinarius vel alter superior petere potest, quod Ecclesia restituiratur, de indeque in plenaria libertate restitutus, vel si vult exeat, & se constituant.

Ita pariter potest quis clericatum non suscipere vel illum suscepimus dimittere, tam explicitè cum expresa renunciatione, quam implicitè non adimplendo requisita Sac. Conc. Trid. pro exemptions fori atque ita effici subditus fori secularis; Sed si in statu clericali carceretur per judicem laicum, atque Ordinarii, vel alterius superioris Ecclesiastici auctoritatem invocet pro ejus remissione ad forum Ecclesiasticum, non potest deinde eo statu, renunciando clericatu, ac proprio favori, consentire quod judex laicus in causa procedat, sed ipsi Ordinarius vel superior tali consensu non obstante ius haberet petendi remissionem clerici, eumque puniendi, juxta casum de quo in Neriton. sub tit. de jurisdicti. disc. 55, cum similibus, unde propterea, quando in hac facti specie non suffragarentur dicta particulares circumstantiae, sentiebam aliquam difficultatem, sed cum articulus non fuerit formiter examinatus, non potuit desu. per matrum judicium efformari,

\*\*\*

ROMA-